



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Mundum esse vallem lachrymarum fugâ dignam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

I.
IVSTITIA ET BONI-
TAS DIVINA QUÆ FAMIS ET
INFIRMITATIS TEMPORE, ITEM IN
MORTE, SEPULTVRIS, ET CETERIS HUMA-
NÆ VITÆ MISERIIS, TRISTIISQUE SEM-
PER AGNOSCENDA

EST.

CAPVT I.

De humana vita miserijs.



PARSIM has attigi, tractatibus præcedentibus; quæ nunc tandem etiam enucleatè, atq; ex professo sunt considerandæ. Sunt enim, præter elementorum pugnas, condicionem nascendi, inopiam, infamiam, bellorum mala, tot aliæ quoque calamitates, in hac vita, vt meritò ea *lachrymarum vallis* appelletur, ne que sine causa infans, in Rascato, duobus cornibus deformis natus, quatuordecim diebus antè, quàm nasceretur, auditus sit plorare. Immò, vt, si nasci homo denuò posset, ac *in ventrem matris sua iteratò introire, & renasci*, sepe ad tempus eò reuerti deberet, vnde in lucem prodijt, exemplo illius infantis, qui anno, quo Saguntum ab Hannibale deletum est, inibi natus, in vterum protinus reuersus est, quasi refugeret imminentem vrbi calamitatem. Quod enim de Iuda Seruator dixit: *Va homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, id multi quoque alij de se, cum impatientia dicunt, quando miserijs pressi, non agnoscunt se ærumnis ornari potiùs, quàm grauari.

Et sanè mirandum magnopere est, hominès tanta huius vitæ cupidine & amore flagrare, vt si eam in innumeras sæculorum ætates extendere possent ac propagare, nullum in ea re sibi studium, nullam contentionem intermittendam existimarent: cum tamen multò plura reperiantur, & sint, quæ nobis eandem vitam odiosam potiùs & acerbam, quàm gratam & amabilem.

A reddant.

I.

Maiol. dier. canicul. coll. 4.

Ioan. 3. 5.

Matth. 26. 24.

II.

7.4